



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

250. feria 6. de alijs signis obtenta virtutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

446 FERIA 6. DOMIN. 11. POST PENTECOST.

MEDITATIO CCL.

FERIA 6. DOMIN. 11. POST PENTECOST.

De alijs signis orientarum

Virtutum.

**V**idebo hominem, sive divinâ vi, sive multo usu ad vitij prorsus contraria inclinatum, totumque virtuti addictum, ut ingens calor omne frigus depellit. Peram signa orientæ Virtutis agnoscere.

*Conf. 1.* Signum profectus in virtute est propositum universale vitandi quodcumque peccatum deliberatum veniale, non labi ex consuetudine, non esse in exercitio, aut saltem desiderio virtutum languidum: languidi enim non consentur proficere, quia deficiunt.

*Conf. 2.* Virtutes aliæ, ut Modestia exterior, facilius, aliæ difficilius exercentur, ut Abnegatio iudicij proprii, conformitas cum voluntate Dei. Itaque in facilitate exercitij Virtutis attendendum, unde, an ex natura sit, ut solent facile operari, non tentari: an ex resistantia, quod est virtutis, an sit ex actu virtuti accessorio, ut sunt lumina, pax, facilitas, delectatio: an sint actus virtutum substantialiales, quos si quis exercet constanter proficit, licet certus non sit de profectu.

*Conf. 3.* Specialis profectus agnoscipotest  
inter

*Feria 6. Domin. 11 post Pentecost. 447*

inter tentationes, passiones, imò & lapsus veniales: ut si quis graviter in puritate tentatus, vel non labitur, quod est virtuosus: quò enim quis gravius tentatus resistit, perfectius possidet virtutem: vel simul in alia virtute non advertenter proficit, ut in obedientia, in qua nullam habet difficultatem, in puritate autem habet, sed tamen vincit, quantumcunque afflictus. hic vir est,

*Conf. 4.* Notanda tentationum origo, decursus, & exitus, ut, si levissima, vel nulla quasi de causa oritur immediate frequens, acris tentatio concupiscentiæ, in homine inferiori. Quam deinde daemon, rebus pessimis imaginationem replendo, inflammaret (quod idem est de ira, vindicta, tepore) signum est debilitatis. Quòd si nulla causa alia data ab imaginatione incipit tentatio, vehementiusque crescit, illa est a demone vexare permisso jam utcumque fortem in virtute. Ita Sancti carne, blasphemiasque impugnati ad fovendam humilitatem, meritumque augendum.

*Conf. 5.* In progressu attendendum, quomodo excipiat tentatio, & quomodo ei resistatur: qui enim cadunt animo, affliguntur, turbantur, grave malum putant tentari, vacillant, franguntur, valde imperfecti sunt. Contra, qui prævident tentationem, vigilantes  
expe.

448 *Fer. 6. Domin. 11. post Pentecost.*  
expectant, acceptant à Deo diffisi sibi, confisique DEO, animosè cum fructu & merito resistunt: hi sunt in virtute provecti.

*Conf. 6.* In exitu duo consideranda sunt: vel enim tentatus victus est, vel vicit. Imperfecti, si fortè superent, statim superbiunt, suisque confisi viribus periculosâ securitate sopiuntur: quòd si superentur, deijciuntur animo, ut vix resurgere velint, abjectis propositis bonis, consuetisque exercitijs. Contrà provecti si vincunt, omnia Deo tribuunt, minusque securi vivunt, causas & occasiones, unde impeti possint, indagant: quòd si vincantur, animosius resurgunt, & lapsi humiliores, cautiores, vigilantioresque efficiuntur, jaëturam fervore compensant, uno tantùm modo victi, pluribus de causis victores evadunt, humilitate, fervore, &c.

*Conf. 7.* Ex ipso virtutum exercitio cognoscitur ejus profectus. Si nihil præcogitando eam exerceat: si non tantùm ardua, sed minima æstimet: imperfecti enim contemnunt minima, hunc ergo contemptum superare, & virtutum honestatem, ubicunque inveniatur, magni facere, pariterque amplecti, signum solidæ probatæque virtutis est. Præterea, si puriore fiat intentione: quia virtus perfectior, purior intentio. Denique major profectus, majorem cum Deo communicationem

*Sabb. Domin. II. post Pentecost. 449*

tionem adfert: videndum igitur, quomodo ea, quæ ad Deum spectant, peragam: ex unione enim cum DEO majori, virtus sine fine crescit.

MEDITATIO CCLI.

*Sabbato Domin. II. post Pentecost.*

*Quomodo B. Virgo in his ex-  
celluerit*

**A**spiciam B. Virginem omni armaturâ fortium instructam, utpote Virtutum Reginam, cõtra omnes hostilitates munitam. Petam sub ejus auspicio bella Domini gerere.

*Conf. 1.* Si unquam tentata fuit Virgo SS. (quemadmodum legimus tentatum Christum D.) sic fuisse tentatam, ut verum esset, quod de D.V. loquitur S. Aug. Lib. de nativ. & grat. c. 36. *Perfectè vicit peccatum.*

*Conf. 2.* Memoriã repetendo tentationes meas, an & ego perfectè vicerim peccatum? Si vici, quid retribuam Domino? quòd si victus, quas ob causas? resurgam fortiùs, & instrumenta virtutum contra earum obices assumam, quibus sensi me maximè juvari.

*Conf. 3.* Debilitatem meam, qui ampliùs, quàm septies labor. Itaque recurram ad B. Virginem, ut scapulis suis obumbret mihi, orando secundo, vel tertio modo,

*Sub tuum presidium.*

MEDI-